



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

14. Mirabilis Casus sartoris, furtum, miraculosâ scripturâ prodentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

bandam, caneret, oculi, vi diuina, cauis veneficæ orbibus euulsi illum ipsum versum cruore notabilem fecerunt. Fuit autem & illud luculentum diuini iudicij testimonium; quòd, postquam Kenulphus Merciorum rex Kenelmum Quendridæ fororis fidei, fratrem ipsius, filium suum commendauit, eaque illum, per speciem venationis, in siluas eductum à satellite obruncatum, tanquam nouum Polydorum, inter fruteta sepultum, occultauit, Romæ columba, super altare S. Petri, membranam litteris Anglicanis exaratam deiecerit, in qua, ordine, & latrocinium, & locus sepulturae occisi Kenelmi detegebatur. Sic omnia fiunt palam, sed nihil minus latet, quàm homicidæ: & innocentia Casusq, Deusq, patrocinator.

De Gregorio Papa VII. refert Cæsar Baronius, eum fuisse patriam Soanensem, è Tusciæ ciuitate, natum humili loco, parente fabro (quod ignominia causa aduersarij illi obiecerunt, cùm tamen ipse Dei Filius fabri filius uoluerit dici) cum puer esset, lussitasse ad pedes patris ligna dolantis; atque tum ex reiectaneis segmentis, cum nesciret litteras, casu elementa illa formasse, ex quibus simul coniunctis illud Dauidicum exprimeretur oraculum: **DOMINABITVR A MARI VSQVE AD MARE;** quo significaretur (manum pueri ductante Numine) eius fore amplissimam in Mundo auctoritatem. *Hec cunabula eius, & quod in puero praesens est diuinitus signum,* ait Cardinalis. Vnà ergo fuit videre, in puero casum, & à Deo vaticinium; quod nequam credendum est, casu accidisse, sed consilio diuino. Quem admodum & illud, quod Gotfridus Viterbiensis de Conrado II. Romanorum Imperatore refert his verbis: *Cuano dux erat, summus inter Principes, sperans sine dubio Imperium obtinere: qui à ceteris principibus interrogatus: Quisnam ad imperium aptior uideretur? Respondit quasi derisorie, dicens: Nepos meus dux Conradus uidetur ad Imperium aptissimus. Credebat enim hoc impossibile, & propterea eum nominauit. Quo audito, uniuersi laudant eundem Conradum, & eligunt eum. Dux uero Cuano contra dixit. Sed tamen praeualuit electio uniuersorum.*

Addam, quod oculatus testis retulit, de Sartore quodam, qui iuuenis adhuc, in Austria, magistro suo 50. florenos subduxit, & cum illis abiens varias prouincias est peruagatus. donec & ipse Magistrum ageret, Abierunt à furti tempore 50. itidem anni. Ac-

H h cidit

XIII.

Baron. tom. 11. Annal. An. Christ. 1073. n. XVI.

Psal. 72.

Gotfr. Viterb. part. 17. Chronici.

XIV.

cidit ergo vt grandæuus, in foro obambulet, pueris in tabula
 nugas agentibus, cretæque, haud scitè, varias lineas ducentibus,
 per modum litterarum. Accedit senex sartor, bis utique puer,
 scripturæque omnis ignarus etiam ipse iocari pingeræque incipit;
 & ecce nescius, quid scriberet, eleganter in valua hæc verba exa-
 ravit: EGO SVM FVR. Quæ verba cum aliqui scholares
 pueri legere nossent, factus est repente clamor ingens iuuenilis
 turbæ sartorem FVREM FVREM proclantantis. Inde fama facta
 est, eum furem esse. Defertur res ad senatum, citatur reus, exami-
 natur. fatetur priscum crimen. suspenditur leue quidem, sed triste
 pondus. Ita ludendo se prodidit, prodendo crimen, in hac vita,
 luit, quod in alteram vitam dilatum, æternis ignibus nunquam
 satis expiasset. Scilicet duplex & diuersa est ratio hominibus ocu-
 los aperiendi, per secundos *Casus*, & per aduersos, vt se, & Deum
 nōrint. Olim Ionathas filius regis *extendit summitatem virgæ, quam
 habebat in manu, & intinxit in fauam mellis, & conuertit manum
 suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.* Tobias autem felle pisi-
 cis visum recepit. His utiq; duplex modus illuminandorum homi-
 num significabatur. Alij melle beneficiorum, alij felle tribulatio-
 nis curantur, vt agnoscant eum, qui prosperitate potest homines
 regere, & aduersitate. *Cum prosperitas adest, inquit S. Chryso-
 stomus, tunc maxime tempus orationum est, lachrymarum, & compunctio-
 nis, & cautelæ. In tribulatione namq; ipsa tribulationum natura vel
 inuitos nos corripit, & modestos facit: ablato verò tali fræno, timen-
 dum, ne ad torporem declinemus: ne de nobis Psalmista dicat: Cum oc-
 cideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo
 veniebant ad eum.* Ita in vtrisque, prosperis &
 aduersis, *Casibus*, Deus domina-

TUR.